

& regulis, nisi nouam prorsus uellemus effingere artem (quod profecto nõ unius esset seculi, ne dum hominis opus) nobis non est discedendum. Nolo autem hac in parte cuiquam obstare meum iudicium quo minus ipse uel fingat, uel retineat qualescunq; uel suas, uel aliorum opiniones; Tantum hoc admonitum uelim lectorem, ista praecepta quæ in hoc opus congesimus, sicut à ueteribus desumpta sunt, ita ad æquationem duodecim domorum cœli, priscis illis artificibus usurpatam, referenda esse.

Primum igitur uetustiores quidam ante Campanum, domos seu loca cœli distinguiebāt per circulos magnos in utroq; polo mundi coeuntes, qui cum meridiano & horizonte totum zodiacum atq; adeo uniuersum cœlum in duodenas partes (inæquales tamen) distribuiebant hoc modo, Constitutis primum quatuor cœli cardinibus, & habita Ascensione recta Mediꝝ cœli, obseruabant partes zodiaci horizontem orientalem & occidentem occupantes, quælitiscq; earum ascensionibus rectis, pro constituendis geminis domicilijs in parte cœli orientali, subtrahebant ascensionem rectam Mediꝝ cœli ab ascensione recta Horoscopi. Deinde interuallum hoc in tres æquales arcus diuidebant, ac in termino primi arcus à medio cœli uersus ortum numerando, constituiebant principium undecimæ domus. In termino uerò secundi arcus ab eodem loco, initium duodecimæ determinabant. Simili prorsus ratione pro geminis occidentalibus cœli locis, nona scilicet & octaua domo inquirendis, ascensionem rectam gradus occidentis, ab Ascensione recta Mediꝝ cœli subducebāt, arcuq; residuo, ut supra, in tres portiones æquales distributo, in fine portionis primæ à Medio cœli uersus occasum limitem nonæ domus promouebant, sed in extremitate secundæ portionis principium numerandæ ascensionis rectæ octauæ domus faciiebant. Hisce singulis æquatoris arcibus respondentes zodiaci partes ex tabula Sphæræ rectæ eliciebant; Subterraneas uero domus ex oppositis illarum locis facillime definiebant. Istitis postea successerunt Campanus & Gazulus, qui Cardinalia quidem puncta eadem retinentes, reliqua cœli domicilia distinxerunt per quatuor circulos magnos transeuntes, utrinq; per communes intersectiones horizontis & Meridiani. Deinde per zenith cuiusq; loci, imaginabantur circulum magnum ad angulos rectos Sphærales incidentem tam meridiano quàm horizonti. In hoc circulo sumebant interualla prædictorum circularum, domos cœlestes distribuendum, ad tricenos gradus eiusdem. Sed hæc opinio cum priori iam pridem à Regiomontano uiro doctissimo explosa est, qui docuit interualla istorum circularum non in uerticali, sed in æquinoctiali circulo, regulatore primi mobilis, capienda esse ad tricenos eiusdem gradus Ingeniosè sunt hæc & eruditè tam cogitata quàm tradita, Ac facile his, præsertim Clarissimi Mathematici Regiomontani nostri demonstrationibus & rationibus aliorum artificum acquiescerem, nisi me & Physicæ rationes, & antiquior Ptolemæi & aliorum autoritas aliò potius inclinarent, quos præstantissimos ac uetustissimos artifices sequutos esse non dubitamus. Nam antiqui illi sapientes, cum, haud dubie duce Deo, animaduertissent stellas errantes uiam Solis tanquam Regis ac Ducis sui uestigia sectari, ac in circulo obliquo quem postea à duodecim imaginibus zodiacum appellarunt, uarias ac insignes ciere mutationes, ac uicissitudines in corporibus ac rebus inferioris naturæ, pro diuersis concursibus ac configurationibus in eodem limite, partim inter se, partim etiam cum stellis hærentibus, diuina planè ingeniorum sagacitate, primum obseruatis punctis, æquinoctiorum ac Solsticiorum, circulum ipsum per duos coluros in quatuor partes distribuerunt, ijsq; quatuor temporum anni uicissitudines distinxerunt. Postea eundem in duodenas æquales partes (quibus signorum appellationem dederunt) propter duodenas Lunæ, Solisq; synodos in annuo spacio, seu reuolutione Solis ferme contingentes, subdiviserunt, circulis magnis utrinq; per polos zodiaci deductis, singulorum signorum

initia